AD

CONFOEDERATOS ORDINES BELGAS, AC SENATVM,

CONTRA

Centurionum aliorumque fraudes justa querela: & de lustrando, censendo, augendo & instituendo exercitu nostro, cujusdam Patriæ amantis

CONSILIVM



LEOVARDIAE
In Officina Radæiana,
1605.

Proverbiorum Cap. 24. versu 5. 6.

Vir ſapiens robur, & vir prudens virtutem habet.

Quia conſiliis bella geruntur & victoria conſiliariorum multitudine (datur.)

Pſal. 33. verſ. 16. 17. 18.

Non ſervatur rex multitudine exercitus, nec vir fortis virium magnitudine pericula vitat. Res fallax eſt equus ad ſalutem; licet robore magno pollens, tamen non eripiet. *Sed ecce oculus Iehovæ ſpectat eos, qui* ſe reverentur, & bonitatem ipſius exſpectant. Vt liberet à morte animas eorum. &c.

Pſal. 27. verſ. 1. 2. 3. &c.

Iehova lux & ſalus mea eſt, à quonam timebo? Iehova robur vitæ meæ eſt, à quo expaveſcam.

Dum aciem inſtruunt contra me improbi, ut carnem meam devorent hoſtes atque inimici mei, ipſi impegerunt & corruerunt.

SEmper quidem Deus in defensione Populi sui bonitatem, præsentiam ac potentiam suam illustribus testimoniis ostendit. Sed numquam et nusquam magis conspicuè, quàm postremis hisce temporibus cùm in Germania, Gallia, Britannia & aliis regnis, atque populis, tum vel maximè in his nostris inferioris Germaniæ regionibus virtutem suam planè divinum demonstravit.

Nam sive infirmitatem renascentis absque viribus humanis Ecclesiæ nostræ spectes, sive potentiam eorum, qui armis & artibus omnique conatu his initiis sese opposuere; confiteare profectò necesse est, ortam exiguis planeque contemtis exordiis Ecclesiam Christi inter tot infidas manus diutissimè sola crucis patientia adversus summam summorum Monarcharum potentiam eluctatam, excitatis tandem divinitus Principum quorundam & magistratuũ animis etiam armis cæpisse defẽdi: et invitis inferorum portis et armorum strepitu per infinitas difficultates eruptisse in hanc, quam videmus, magnitudinẽ. Hoc quisquis non videt in media luce, hunc cæcum, qui negat, stolidum esse necesse est.

Cæterùm quanto magis ac mirabilius hoc Dei opus est, qui nos primùm inermes, solo spiritu suo, mox & armis instruxit, tanto magis damnanda ac detestanda nostra socordia & ingratitudo est, qui tantorum beneficiorum im-

memores, licet ab omnibus rebus instructi, in tam bonæ causa conatum remittimus, et cùm hostis arma teneat, extrema quæque minitans, quasi tuta omnia nec quidquam metuendum sit, omnem curam supplendi cohortes nostras abjicimus.

Plus satis nos docuerunt æstatis superioris damna, quibus in rebus à nobis peccatum sit hactenus. Signa etenim militaria habuimus abundè; Sed miles defuit signis, non signa militi, nec stipendia. Neque novum hoc, verum adeò multorum annorum usu inveteratum malum est, ut ignotum nemini esse queat. Et sicut mala omnia invitari impunitate, augeri & crescere licentia solent, ita vidimus hac æstate copias nostras pedestres cẽtum viginti vel circiter cohortium (quæ ut minimùm quindecim millium numerum explere debuerant) vix ad sex millia virorum lustratas fuisse. Hanc tam incredibilem furacitatem, tam immanem seculisque omnibus inauditam fallendi audaciam, exitiosam Patriæ Ecclesiæque tot jam annos toleratam quis non miretur, doleat, horreat fidus Patriæ Ecclesiæq; civis? Nos tamen surdis auribus, siccis oculis minantium et jam præsentium periculorum securi tot oppidis, et castellis amissis, vastatis agris ac damnis acceptis, ad quærenda vera remedia segnes non expergiscimur? Quousq; tamdem frigus hoc nostrum ac veternum penè lethalem non excutimus? altorum montium fumos respicientes monstrata dataq; divinitus auxilia contemtim repudiamus? Iam (quod horum malorum causa est) quasi in

hostibus

hostibus nostris ad nos perdendos non satis sit virium, iram Dei meritamque vindictam, dum cultum ejus vel frigidè vel omnino non curamus, insuper in nos provocamus. Siquidem nota est omniúmque oculis exposita deformis hæc per nostrã maximè Frisiã (de vicinis hîc non loquor, qui de suis rebus ipsi rationem Deo reddent) Ecclesiarum vastitas. Cui malo mederi tam facilè potuimus, quàm meritò debuimus: idq; jam inde ab eo usq; anno, quo Groninga & reliqua Cisrhenana vicinia in Ordinum potestatem est redacta. Sed jacent ubiq; per agros Ecclesiæ, in primis per totã Sylviorũ regionem adeò incultæ, nudæ, horridæ, sine cura atq; ministerio verbi divini, ut ubi centum olim sacrifici præter ludimagistros facilè ac largiter vixêre, ibi hodie verbi ministros vix viginti quinque reperias. Et interim Ecclesiæ bona à majoribus olim data, à privatis modò magistratuum negligentia injustè detinentur. Invenias & Gretenias, ubi viginti olim sacrifici aliti sunt, hodie ne unus quidem Ecclesiastes est ministerio idoneus.

Quòd si pari studio interim rem Ecclesiæ & Patriæ curassemus, quo suam quisque privatam ex Patria bellorum motib. turbida piscari sategit, rem propè jam factam, patriam Ecclesiásq; florentes, et quod rei caput est, Deum ipsum nobis propicium & legionibus nostris præsentem haberemus.

At nunc dum suis quisque commodis & sibi suisque juvandis consulit, dum ad se liberósque, nepotes, fratres,

propinquos

propinquos & affines locupletandos ruentis Patriæ munera & spolia rapit, dum etiam ad publicos Ordinũ convẽtus citra pudorem legúmq; ac Numinis curam et reverentiam non alia de caussa plerique (de probis, quibus ista displicent, nihil dico) concurrunt, quàm ut omnes Reip. tam civiles quàm militares honores, dignitates & officia conspiratione prorsus pudenda, & tamen omnibus conspicua sibi suisque ornandis intercipiant, trahant, raptent, exclusis melioribus, abjicitur omne studium tam religionis quàm Rep. & accenduntur faces iræ divinæ. Et hæc omnia omnibus, vel lippis ac tonsoribus (ut dicitur) adeò nota sunt, ac trita etiam vulgi & puerorum fabulis, ut negari non possint. Ego verò neminem nomino, sed, si quæ pridem (heu dolor ac dedecus) tam manifesta sunt emendanda, non exagitanda propono, irasci mihi, nisi qui cum pudore & sensum perdidit, nemo poterit.

Mirari ergo non debemus, si Deus, cum saluberrimis consiliis placitisque suis contemtim habitus, & à Conciliis nostris exclusus, his moribus iratus vindictam divinæ suæ Majestatis exposcat, consilia nostra turbida dissipet, nobisq; bella sua negligenter gerentibus, exercitus nostros inobedientes & inutiles reddat. Hanc autem justissimam justissimi Numinis iram atque vindictam ut effugere queamus, curanda necessariò hæc mala, regendi corrigendíque mores & purgandi nobis sunt cœtus nostri, & denique omnis cura ad placandum Deum, publicamq; salutem dirigenda erit. Quæ omnia quia sine Ordinum

conven-

conventibus probè administrari nequeant, hos conventus quasi theatrum omnis modestiæ, virtutis, Pietatis & justitiæ esse, ad imitandum omnibus expositum, profligata privata ambitione & avaritiâ quàm longissimè, honores dare non rapere decet. Certè cùm hoc tempore ultima mala & naufragia spectanti jam in præceps Reip. & Ecclesiæ Christi nobis comminentur, furor profectò, cæcitas & væsania est, curti & privati lucelli causa negligere publicam ruinam, qua tamen mox perire ac mergi universos oportet.


Quam tantam cladem ut sui nominis, non meriti nostri ergo in professos hostes suos à nobis avertat Clementissimus Deus, hoc agendum nobis, hic labor, hic scopus erit, ut exorando Deo Opt. Max. omnem curam, consilia & operam seriò conferamus; tum ut ad augendas reformandásque legiones nostras, & omnes tam equitum quàm peditum copias alacriter properemus. Properat enim hostis, & nos hîc ignavos ac segnes esse vetat. Maturandum igitur, ut etiam ante hyemis exitum parati simus, quia serò ista fient cùm jam educendus (quod primo vere vel etiam antè fieri velim) exercitus erit.

Equidem jam ante annos plus minus septem, ad hoc signum spectans, cùm in exercitu nostro mille fraudes & paucitatem fœdam animadverterem, & non sine summo dolore mali remedia frustra quærerem, consilium meum qualecumque candidè proposui, scriptóq; comprehensum multis & in dignitate constitutis & eruditione claris viris

ris communicavi. Quod etsi publicandum jam tum quidam putabant, pressi tamen in hunc usque diem, futurum sperans, ut interim vigilantiâ summi regiminis tam evidentia Reipublicæ vulnera sanarentur. Et mihi quidem non adeò arduum id videbatur, ut multi sibi persuadebant, quòd & longorum mensium contractione & capitum numero minuto in cohortibus, duplici Ordinum liberalitate, & modò annonæ quoque laxitate querelis militum occursum esset. Sed cùm videam, non solùm nihil factum, sed contrà eousque excrevisse morbum, ut ejus cura jam difficilis videatur, nisi celeriter καὶ ὡς ἀπὸ μηχανῆς *Deus ipse benignissimis benignè nos respexerit: & pericula nos ultima circumstent urgeantque, ne desim officio (præsertim suadẽtibus idem doctis & fidis quibusdã communis Patriæ & Ecclesiæ amantibus viris) promendum jam, non premendum amplius existimavi. Quod ergo Deus bene vertat, & Reipublicæ Christianæ salutare reddat, recognitum* ὡς νεόφυτον, *non auctum, auram ei secundam precans, emitto. Non tamen ita hunc meum partum diligo, quin si meliorem quis dederit, gloriæ Dei & Reipublicæ causa citra invidiam ultrò cessurus, eumque vel propriis manibus sim jugulaturus.* Calend. Decemb. CIƆ. IƆ. CV.

SOPHOCLES.

Ὅπου ᾗ μὴ τ᾽ ἄρισ᾽ ἐλευθέρως λέγειν
ἔξεστι, νικᾷ δ᾽ ἐν πόλει τὰ χείρονα,
Ἁμαρτίαι σφάλλουσι τὴν σωτηρίαν.



SI quod umquam tempus fuit. P. C. de salute publica seriò cogitandi: hic dies hodiernus apertè, disertè & quasi edita voce nos admonet, non agendum modò, sed & properandum nobis esse. Periculum ultimum, exitium præsens, & si quid his atrocius minitari sævitia potest, id omne nobis infestissimus intentat hostis. Et, quod toties voce divina didicimus, viribus, fœderibus & auxiliis externis ne nimium confidendo, officium nostrum studiumque rebus ad salutem necessariis consulendi remittamus, nimium verè idem hic dies docuit, rupto penè celeriùs quàm conflatum erat, hoc fœdere, quod non sine caussa diuturnum (si minùs immortale) fore cum his Regibus tam amicis & vicinis, quàm potentibus nobis promiseramus. Ecce instat & urget armis & artibus, omnem conatum quasi compendio in nos effusurus cruentus & nobis irreconciliabilis hostis: jamque rem gerit, uti videmus.

Quid ergo faciendum censes? dicat aliquis, Nihil frigidum, nihil segne, nihil vulgare nec ordinarium agendum nobis dico: sed quod hæc ipsa hora, hic hostis, & hæc, quam videtis, periclitantis Patriæ necessitas: denique quod ipse Deus Armipotens dictat, effla-

gitat, cogit, jubetque.

Hic primum est, uti Dei nostri verè Opt. Max. auxilium quod numquam nos deseruit, imploremus tam certa fiducia, quàm vanam omnem humanam modò experti sumus. Proximum, ut quod jam Dei beneficio habemus, vel habere possumus, id habeamus, & remotis omnibus obstaculis ac difficultatibus, impendere Dei gloriæ & saluti publicæ ne dubitemus. Tertium, ne quid exspectemus ab amicis, vicinis, sociis, quod in nobis situm sit: neu foris quærendo, quod domi habemus, officium Patriæ debitum negligamus.

Ac divinum quidem auxilium certum præsensque impetrabimus, si implorabimus; si Dei dono & virtute hucusq; stare nos & staturos certò gratisq; animis statuemus. Si implorabimus dico, hoc est, si bonam caussam nostram bene & non neglectim administratam ardentibus votis Deo nostro Armipotenti commendabimus: & cum Deo manum & ipsi operi tam sancto admovebimus. Sic agentibus, & non segniter precantibus haut dubiè Deus aderit, aget pugnabitque pro nobis: &, quod promisit, vel gloriæ suæ ergo præstabit, modò gloriam hanc ipsi demus, ut necessitatis tempore ipsum invocemus. Sic perpetuò veteri Populo suo Israëlitico adfuit. Sic novo novi fœ-

de-

deris. Sed & nobis ipsis hucusque in hoc bello. Nec recitabo hîc exempla vel hæc vel ista, quorum plenæ sunt sacræ historiæ; & ipsi testes locupletes sumus, ipsi sensimus & sentimus etiamnum potentissimam Dei dexteram adversus prevalidum hostem & difficultates infinitas cum externas tum domesticas. Dico ergo mihique promitto eandem nobis sedulò invocantibus, ac divinum negotium impigrè agentibus minimè defuturam.

Cæterùm Dei auxilio sic demum potiemur, utemur, fruemur, si Consilio, mandato & imperio paruerimus. Consulit Deus vult & jubet, ut præcincti virtute ac robore se ducem armipotentem in hostes suos nostrosque præeuntem cum fiducia sequamur. Consulit ille, vult, jubet, ut arma, vires & copias à se liberalissimè datas ad pugnam, non ad pompam instructas gloriæ suæ & saluti Populi sui Patriæque nostræ bona fide impendamus. Consulit, vult, jubet, in rem tam sanctam, quàm necessariam non fidem tantùm, sed & curam omnem adhibere: & exsecratur, quotquot opus suum tepidè, trepidè & negligenter facimus. Consulit denique, vult, jubetque Deus, ultimis plecti suppliciis sacrilegos peculatores, qui militiæ tam sanctæ inauctorati, stipendia Patriæ capiunt, militem non dant Patriæ. Exsecratur veracissimum justissimúmq;

Numen, odit, horret furta fraudesque: sed magis nostras, quàm militum nostrorum: & ni puniendo nequissimos fures ac prædones publicos gloriæ suæ ac saluti publicæ consulimus, puniet ipsemet nos, ut infideles Populi sui Pastores custodésque, & puniendo justissimæ vindictæ suæ & exitio publico superimmolans ipse interim gloriæ ac majestatis suæ vindex existet.

Quod ne fiat, nostra erit cautio, & (ne desperemus) facultas obviam eundo periculis minantibus, & properando per media pericula, quæ sicuti in hunc usque diem morando accersivimus, attraximus, auximus: ita repellere, avertere & in ipsum hostem convertere maturando & gnaviter agendo instandoque operi possumus.

Ita facientibus vel ex machina Deus aderit. Facientibus dico? imò conantibus & seriò volentibus tantùm. Nam de vobis, P.C. polliceri mihi audeo, quod reliquis mortalium in votis semper fuit, & sæpe defuit, unicum, uti quod vellent possent: id vobis Dei beneficio, & alacritate Populi Belgici abundè adesse, uti quicquid hujus velitis, possitis: unum deesse, velle, quod potestis. Omnem difficultatem omni ævo superasse visus est Imperator, Rex, & Respublica quibus ad agendos alendosque exercitus stipendium non

defuit,

desuit. Id habentibus, ceu belli nervum certissimum reliqua expedita & ad manum fuêre. At nobis, quantam requirimus pecuniam, largitur Deus, repræsentat Populus libens ac liberalis. Sexagies quinquies centena aureorum Carolæorum millia in belli terrestris impendia hoc anno petiit Senatus ac tulit. Ingentem profectò pecuniam diceret Regum quilibet, si posceretur. Quid quærimus ultra? En nervum belli quantum vel optare audeamus, & qui ad quadraginta peditum tria equitum millia toto anno alenda dubio procul satis sit præter alia necessaria. Vt hîc quidem, si libeat, exclamare meritò liceat: O fortunatos nimium, bona si sua norint, Belgas, nisi me vel mæror vel modestia retineret. Et licet his objici possit: ad reliquos apparatus, impedimenta belli, & necessitates subitas facilè quintam vel etiam quartam partem ex hac summa decidendam esse (cui ego non nimium repugnem) tamen vel sic mihi Populoque Belgico ad triginta duo peditum, duo equitum millia quingentos satis super erit. Ecquis exercitum numerosiorem requirat.

Ecquis his copiis, armis ac viribus nostra defendi, invadi hostem & pelli finibus nostris, atque insuper & suis è Belgis posse diffidat? Ex Belgis, inquam, & quidem universis, quos sanè sperare licet, si nos validè

ſerioq́ue in liberanda Patria verſari ſenſerint, nobis vicinis & cognatis, ad recuperandam communem libertatem potiùs acceſſuros, quàm ad ſuperbam externæ, truculentiſsimæ nationis dominationem ſuſtinendam ac propugnandam in conditione ſervitii tam triſtis permanſuros. Sin frigidè pergentes viderint, nec dari ſibi, quod ſperent, dignum periculo: ne nos quidem ab his quidquam magni ſperemus, quos miſerrimo ſervitutis jugo jam adſuetos longè credibilius eſt, ſervire quodlibet ſervitium quavis lege, quàm ſine ſpe certa periclitari nobiſcum, & perire tandem malituros.

Ecce habetis uno compendio, P. C. quid poſsitis. Quid ergo? non vultis? Abſit à vobis, abſit à Belgis tantum nefas, tanta in Deum ſimul & Patriam impietas & ingratitudo. Sed tamen has copias quo minùs integras hodie habeamus, prima culpa nequiſsimorum eſt Centurionum Tribunorumq́ue (his enim nominibus legiuncularum & cohortularum noſtrarum præfectos hîc appellitare libet) noſtrorum. Hinc perfidiſsimorum Cenſorum cum his colludentium, ſecunda. Et quia nos hæc ſcimus tam immania, & omnē exemplum extremæ nequitiæ vincentia, & exitium Patriæ trahentia ſcelera, eaq́ue ſinimus impunita, noſtram facimus tertiam & ultimam, ne di-

cam, omnem. Nolle enim videmur, qui officium non facimus, nec Senatum negligenter hîc agentem excitamus: qui stationem divinitus nobis assignatam non satis tuemur, negligendo quæ ad eam necessaria sunt: neque creditum nobis Reip. clavum rectum tenentes, in sævissima tam cruenti & exitialis belli tempestate neglectu Censuræ ac Disciplinæ militaris navem Ecclesiæ Dei & Patriæ in scopulos dirigimus.

Quæ autem hæc miseria est? Quis veternus? Quis error tam affectatus? imò quis furor, dum mortem fugimus, in mortem ruere? Dum hostem externum depellere conamur, tot hostes domesticos in sinu fovere, & per hos ipsos pontem sternere hosti peregrino? An ignoramus, quo cum hoste res sit nobis? nempe cum eo, cujus nota perfidia & professa per orbem, omnem nobis non actionem modò sed & mentionem pacis abominabilem fecit. Iam si bello vincimur (nam sic agendo vincere quî possumus?) quam spem veniæ aut moderationem victoriæ sperabimus à barbaris ac feris Cyclopibus inveteratæ jam tot annos iræ faces horrendas Populo Belgico intentantibus? Quorum inexplebili sævitiæ & siti sanguinis humani totus hic orbis non sufficit. Sed & novi orbes quærendi, & cruore carnibusque humanis infinitarum myriadum, à quibus nulla re læsi fuerant, etiam canes eorum sati-

andi.

andi. Bellum ergo cùm nobis jam ſit plus quàm internecinum, bellandum quoque neceſſariò, & bona fide meminerimus, & opponendas efferatis hoſtibus juſtas copias & exercitus tantæ moli idoneos,& quantas extrema hæc, quam videmus, Patriæ necesſitas expoſcit, & Reipublicæ ſtipẽdiis complecti poſſumus.

Atque hoc totum (mihi credite P. C.) abundè nobis præſtabunt exacta Cenſura & Diſciplina militaris, ſi minùs ſeveriſsima illa, qualem veteribus fuiſſe accepimus; at ſaltem mediocris, queque ultima ſcelera, peculatus & ſacrilegia furtaque publica ultimis ſuppliciis, vel ſi durius id moribus noſtris erit, ſaltem modicis & exemplo dignis pœnis perſequatur. Neque ego hîc requirere audeam priſcam illam & venerandam,magiſque nobis optandam quàm ſperandam militię rectricem omnibus hiſtoriis celebratam Romanorum diſciplinam. Sed quis ferre queat ſceleſtam hanc & effuſiſsimam multiſque ſęculis inauditam furandi, graſſandique licentiam Centurionum,Ducenturionum aliorumque, adeò jam vulgò receptam, uti de ea fraudibuſque ſuis (artes ipſi vocant) gloriari paſſim ipſos audiamus? Et quod fœdum auditu eſt,cùm horum fraudatorum (probos ſemper excipio) alii vicenis,alii tricenis,complures quadragenis,quinquagenis,ſexagenis, non pauci ſeptuagenis & pluribus capitibus

tibus Rempublicam fraudent: hæc tamen tanta, tam immania furtorum, peculatus & sacrilegiorum monstra tam conspicua, & ab ipsis etiam palàm jactata quis credat à Censoribus nostris (ut ipsi aiunt) animadverti non posse? Nam hi integros nobis (si diis placet) capitum catalogos, aut integris proximos exhibent. Vt nusquam certiùs appareat harum fraudum & collusionum experimentum, quàm cùm in expeditionem vel in aciem educitur exercitus, & maximè periclitatur Respublica: cùm ne dimidia quidem pars capitum, quam Censorum nobis mentiuntur tabulæ, oculis repræsentetur.

Et quodnam quærimus tam nocentis & perniciosæ imposturæ manifestius documentũ? Et quando tamdẽ è somno nostro, vel veterno potiùs expergiscemur? An non videmus, præ foribus, non in foribus ipsis periculum? Nec mala tanta domestica planéque intestina curare studemus? Si (quod Deus Opt. Max. avertat) in prælio tantam nobis cladem dedisset, & ad deformem hanc paucitatem nos redegisset hostis, quis non gemitus, quis non lachrymas, quis non luctum sibi publicum, nedum consternationem demonstranda putaret? Nunc (ecce) facit idem Tribunus noster, Centurio noster, & (quod monstra omnia superat) Censor ipse & custos noster, qui dolis, furtis & corru-

ptelis infinitis dum ſimplicitati noſtræ imponũt & illudunt & Patriam defenſoribus nudãt, hoſti militant, hoſti rem gerunt, hoſti trophæa ac triumphos parant.

Et mox intereà deluſi ac deriſi, & (quantum in his eſt) perditi, ſiccis tamen oculis, ſupinis auribus & ſecuris animis videre, audire & ferre hæc poſſumus? Si miles deſertor vel conflictus vel expeditionis tempore ex acie vel à ſignis aufugerit, ſupplicio ultimo citra miſericordiam percellitur, & meritò ſanè; At hi ſacrilegi noſtri mangones, fures & prędones totas nobis cohortes, integras legiones, tot bellatorum millia ab expeditionibus & acie noſtra ſubducunt, Et quidem impunè. Hos aũt quis neget militare hoſti, ſervire hoſti, rem gerere hoſti, ſacrificia, hecatonbas & triumphos gratiſsimos adornare hoſti? Cùm aũt bis, ter, & ter decies hoſtis ac toties proditor ſit ille, qui in caſtris Imperatoris ſui rem conficit hoſti, ideoq́ue omnibus pœnis dignus, quo non malo dignos judicabimus iſtos, qui, ut luxum, libidines, faſtum & ingluviem ſuam exſatient, exercitum Imperatoris ſui armis viriſq́ue nudatum trucidandum hoſtibus objiciunt: Rempublicam pecunia emungunt ac vendunt?

Verùm hæc quantumvis atrocia, non deſunt tamẽ, qui purgare ſtudeant, patroni, temporum caritatem & ſtipendii parcitatem tollerandis ſumtibus, ac ſuſti-

nendæ

nendæ Tribunorum, Centurionum aliorumque dignitati imparem, & nescio, quid non caussantes. Atqui hos tam bellos non Patriæ laborantis, sed luxuriãtis superbię propugnatores scire oportuit, armis & armatis, viris & militibus, non unguentis aut milticiis, non lenonibus aut cauponibus, neque mollib. sponsis Penelopes opus esse Patriæ. Ea incidisse nunc tempora, quibus non ungi, non comi, non pollucere militem, sed armari, in acie stare, pro Patria cumque Patria non de levibus aut ludicris præmiolis, sed de libertate, de vita ipsa, summaq; rerum omnium necessariò certandum, pugnandum & periclitandum est. Hoc si teneret Tribunus, Centurio, Signifer & miles noster, sciret & virtute sibi, non luxu; armis, non epulis cum principibus & magnatibus contendendum: in hostes arma non in cives gulam acuenda, & hoc modo contentus anni superioris liberalitate non citra grave Reipublicæ onus impetrata: sic & stipendii abundè esse omnibus. Si non tenet, & obsonari, luxuriari ac pergræcari, ideoque & furari pergit velle, nihil quamlibet magnum satisfore: & necessariò, quod fit, fieri, dum ipsi soli pauci & cum paucis comuntur, unguntur, luxuriantur: & (quod æquè flagitiosum est) per avaritiam cauponantes stipendia commilitonum suorum intervertunt. Sic militem, quem habent, pallere fame:

quem non habent, ſubtrahi Patriæ, dum ſtipendium omne publicum intercipit, abſumit ac diſsipat ſacrilega ingluvies, luxus & avaritia paucorum. Vt mirum non ſit profectò, ſi in neceſsitate & periculo publico Reſpublica exercitũ, exercitus ſtipendium non habeat.

Neq; mirum, ſi Duces noſtri, viri alioquin magni ac ſtrennui, ubi cum paucis & vix ſemiplenis copiis ad hoſtem ventum eſt, virium tam acciſarum conſcientia fortunam prælii vel tentare non audeant; vel ſi audeant, ſuccumbant; & optimas rei bene gerendæ occaſiones ſæpe prætermittere, & hoſti magno cum Reipublicæ malo cedere cogantur. Quod tam triſte ac luctuoſum experimentum utinam vel minùs ſæpe feciſſemus: vel crebrò jam factum ad uſum trahere, & malis noſtris tam multis diſcere poſsimus.

Et utut hic minus ſit mali, quamnam poſthac victoriam ſperemus ab hiſce perditiſsimis furibus? ab his tam nitidis, tam cultis, mollibuſq;, & abdomine gravibus ventribus, conſcientia furtorum, rapinarum & peculatus vel tutiſsima quæque, & tam veſti quàm vẽtri metuentibus, eoque fugam magis, quàm pugnam cum milite, quem exemplo corruperunt, meditantibus? Quamquam ne hoc quidem mirum eſt. Quid enim non vitiet? quid non corrumpat hæc tam projecta licentia? Dedit hanc contagio labem & dabit in

plures

plures, si quid tamen in nostris moribus tam profligatis superest, quod corrumpatur. Illud mirum, vel miserũ potiùs, ne tot quidem & tam tristibus cladium exemplis ad revocandam veram Censuram ac Disciplinam commoveri nos posse: & cùm leges habeamus multas & non malas, nullas omnino apud nos vigere nec vivere legum pænas. Idque contra omnem omnium sæculorum laudatum morem, quo saluberrimè receptum est, crescentib. delictis, uti intendantur & pænæ.

Hinc & illud consequitur, quod est omnium miserrimum, dum nefariis & scelestissimis aliquot gurgitibus & pestibus perversa parcit indulgentia, objici furiosis immitissimorum hostium rictibus dulcissimam Patriam omni spiritu nobis chariorem. Hanc verò nostram tam supinam oscitantiam & miseriam affectatam, quis non miretur ac deploret, qui cùm nulla vi, nulla difficultate, nullo periculo retineri mercatores posse videat, quin lucelli sui caussa per tot maria novas terras, Indias & orbes quærant: nos contrà in defendenda tam nostra quàm publica salute adeò videat resupinos, ut ad remedium alioqui promtum nec sumptuosum, ne hac quidem vi penè fatali & periculo extremo commoveri posse videamur.

Cognati sunt? affines? familiares? hoc severiùs puniantur. Et simus hîc Iunii Bruti Patriæ caussa, qui

propriis filiis Patriæ proditionem molientibus non pepercit. Cogitemus quàm multos cognatos, affines & familiares. imò parentes & fratres, conjuges & liberos, & quidquid omnino in Patria est chari pignoris, tristissima Patriæ ruina involutura sit secum. Quos tamen universos velut uno dedere incendio, & truculentissimis carnificibus ad lanienam prodere non verentur hæ furiæ nostræ ac pestes, periturę nihilominus & ipsæ simul exiguæ brevique duraturæ voluptatis ergò. Cogitemus etiam atque etiam, si quid triste (quod Deus avertat) evenerit & negligentiâ nostrâ Patriam circumvenerit, quam rationem Deo, quam patriæ reddituri simus, tacti tractique simul publicâ ruinâ. Quid de nobis dicturi censurique sint exteri, quid vicini, quid item posteri nostri, vel apud exteros tristi exsulio, vel apud ipsos hostes victores turpi servitio pressi. Nempe, populum Belgicum quondam opibus & viribus florentem in summa rerum omnium copia, inopia virium & boni consilii & incuria custodum crudelissimis hostibus succubuisse. Cogitemus postremò (nec levis hæc sit cura) si quos successus hæc festinatio & vis hostilis habuerit, quid à religionis professis & Reipublicæ tectis adversariis domesticis, quid item à populo ab his concitando, novandis rebus & natura & belli tædio proclivi, & jam ab ipsis quoq; hostibus

ſtibus palàm impulſo inter adverſa timendum; vel certè cavendum ſit nobis.

Iam ſi quem deterret rei difficultas, hic ſciat, utcumque id verum ſit, rem eſſe præclaram, neque novum, ſi ut omnia pulchra, ſic & hanc ſuo quodam jure difficultates aliquas habituram. Sciat neceſſariam nobis eſſe: niſi perire ſatiùs ducimus, quam tamen ut numquam viſam, impoſsibilem, numquam non exercitam, ſi aggredi tantùm libeat, facilem reddet promtamque experientia. Velimus tantùm & conatum præſtemus.

Cæterùm quo faciliùs conari & re tamdem ipſa tantis malis mederi queamus ante omnia curandum, ut in conferendis ſtipendiis inter ſocios populos meliore & Chriſtianis fœdereq; noſtro digna fide verſemur; neque, ut hactenus factum, ſi decipi à milite noſtro nolumus, nos ipſi hîc mutuum decipiamus. Repræſentemus bona fide vel cohortium quiſq; ſuarum verum numerum, vel ſuffecturam ſtipendiis pecuniam ex fœdere jam olim pro modo facultatum cujuſq; populi conſtitutam: & quod in pompis publicis fieri conſuevit, ubi opes quiſque ſuas oſtentare non gravatur, id quæſo in aſſerenda libertate & ſalute publica ne recuſemus: ſed ſit ſancta quædam liberalitatis, benivolentiæ, charitatis & fidei erga communem patriam ex

immitiſsimis ſævisſimorum luporum rictib. conſervandam, inter nos contentio.

Ad hæc ſedulò curemus, ut quantum omninò fieri poteſt, ſtipendium militi ſolvatur in tempore citra moram longiorem. Nam hac in re cum gravi Reipublicæ diſpendio graviſsimè multis in locis peccari videmus, dum pecuniam militarem ſubquæſtores, ad quos cohortium præfecti cum adſignationibus ſuis remittuntur, longo tempore ſupprimunt, & his modis militem fraudant, & præfectis porrò fallendi cauſſam præbent: His bene curatis reliqua non tam ardua erunt, quàm putamus, velimus tantùm, ut dixi, ſeriò. Nemo non militum, etiam legionariorum idem volet nobiſcum, ſi bonos præmia, improbos pœnas ſequi viderit. Nemo pro impunitate iſtorum ſe commovebit, quos tam juſta de cauſſa odit, quàm juſta pœna plecti videt. Nemo iſtorum ſuppliciis indoleſcet, qui vel ſtipendio ſe fraudatum, maléque tractatum dolebit, vel locum exuviaſque punitorum ſperare poterit. Quin & ipſi fraudatorum ſuorum furta detegent milites, & deferent ultrò, ſi invitentur.

Adeò nulla grandior timeri hinc difficultas poterit. Nec video, aliunde quæ poſsit: modò rem tantam ſuo tempore, rectè atque ordine aggrediamur: & cenſuram jam hinc inde primùm, & poſteà deinceps aliquoties

quoties ſuſcipiamus agamuſque ipſi, adhibitis non his cenſorculis ordinariis canibus mutis: ſed notæ virtutis fidei & erga Patriam, charitatis viris ac magiſtratibus, talium fraudum non ignaris, eoq́ue nec remedii ac cautelæ contra eas.

Hanc breviſsimis intervallis iterari & repeti velim: & falli ipſos fallentes ſuis artibus. Provocari ad indicium tricuriones, decuriones, duplarios alioſq́ue notiores milites religione ſacramenti militaris, quo militię adſcripti ſunt: Quod quo feliciùs fiat, jam inchoandum quàm primùm pergendúmque conſtanter cenſeam, dum temporis aliquid hoſtium nobis perplexitas indulget.

Profuerit non modicum & illud, ſæpiùs mutari ſtationes, & ne diutiùs ternis menſibus uno in loco agitent præſidia, nec conſueſcant, aut conſeneſcant cum civibus.

Ante omnia ſint in ordinum potiùs quàm Centurionum poteſtate Scribæ: & per horum manus viritim militi ſtipendium numeretur. Quod ut ipſis fortè abſurdum videatur, maximè olim, cùm hæ fraudes, aut in frequentiores eſſent, aut minùs timerentur: ſic hodiè remedio & ſaluti utile neceſsitas facit. Hinc jam in deprehenſos fures ad terrorem aliorum ſeverè animadverti, & nihil obmitti diligentiæ & offi-

cii periculis urgentibus avertendis necessarii.

Postremò, ne qua ex hoc censu metui seditio possit, in intima præsidia deduci cohortes, quæ hoc anno in expeditione fuêre, quo & lustratio & animadversio facilior sit; & in æstatem recentes integrasque in hostē vel hosticum deduci velim.

Quod si tamen usque adeo quibusdam placet augeri stipendia vel Centurionibus vel etiam melioribus militum, licet hoc ipsi nunc nec postulent, nec postulare audeant conscientia recentis augmenti hoc ipso anno cōtractione mensium concessi non nimium repugnabo, habeāt sanè pręter alia cōmoda sua non pauca nec parva centenos vicenos quinos Carolæos menstruum stipendiū vel etiam amplius, si videbitur, sustinendis oneribus & honorandis melioribus militibus.

Sed satis docuit recēs liberalitas, quàm parum hinc quoque sperandum sit, neque flecti improbitatem beneficio. Hoc stipendio concesso. interrogari singulos suadeam velíntne nec ne, hoc stipendio militantēs, cohortes suas justo militum numero & robore implere, & impletas perpetuò durante militia conservare, capitis denunciata pœna, ni faciant Recipientes sacramento adstringi, & fallentes ex lege plecti, juvare Rempublicam, misereri Patriæ.

Et quid ni sic agamus lege? Quid metuimus? Quo

usque

uſque tamdem parcemus nequiſsimis proditoribus! ocioſiq́ue exitium & ruinam ſuaviſsimæ patriæ ſpectabimus, quam quidem fulcire tam facile potuimus, quàm jure meritóque debuimus? Inſtat hoſtis jam Gallico, ac modò non & Anglico bello defunctus collectis integris & inſtructis viribus univerſis, longeq́ue aliam bellandi neceſsitatem nobis imponit, quàm pridem alienis occupandis diſtractus, quo tempore hunc nobis errorem minùs ſanè pernitioſum abſentia ſua fecit. At modò tota bellandi ratione mutata nos docet, ita nos comparemus quaſi certos, in hoc bello & cum hoc hoſte bis peccare nobis non liciturum. Sed hæc jam plus ſatis: vobis ſapientibus vel abſque his ſatis.

Illud autem meritò quis miretur. Et me quidem jam diu pœnitet, pudet, pigetq́ue (Parcite P. C. immodico dolori; & me quidem huic affinem culpæ partem ejus ferre, agnoſcere & deplorare patiamini) in bello tam ſævo & ferventi frigoris atq; oſcitationis noſtræ: qui dum & noſtra bona & Dei dona maxima plurimáq; non animadvertimus, eademq́ue negligenter adminiſtramus, confugimus ad exteros Reges: & obmiſſo domi officio ac Dei conſilio, peregrinorum fœderum & auxiliorum ventos captamus. Vt Patriam liberemus, mãcipamus Patriam, ſervitutis & onerum

fuga, servitutes & onera accersimus. Vrbes, opida atque arces nostras contra exteros defensuri, urbes, oppida & arces nostras exteris tradimus, haut alia spe, quàm parvi brevisq; auxilii tanta cum pactione ingentiũ onerum, nedum servitutis, atque isthac mercedula placent omnia, quæ velis equisque fugimus, mala. Cùm tamen, si sapimus, si viri, si Belgæ sumus, Dei nostri Opt. Max. munere eadem domi habeamus & majora & certiora, quæ tam sollicitè foris quærimus. Et sanè non immeritò mirentur homines non prorsus à nobis alieni, Belgas Confœderatos gentem cæterà prudentẽ, potentẽ & bellicosam vel ignorantia vel veriùs neglectu viriũ suarum, dum peregrinæ potentiæ fumũ cõsectatur, in ignẽ, quem malè fugerat, pejùs incidisse.

Quid ergo (fortè dicat aliquispiam) túne tantorum Principum auxilia fœderáque contemnis? Minimè equidem contemno, quinimò magni ea facio. Sed ita pendere ab iis nolim, ut eorum fiducia remitti studiũ, obmitti officium Patriæ debitum, ac tam necessarium velim. Nolim cessare in armandis expediendisque omnibus copiis domesticis: & in summo Reip. discrimine comparandis omnibus ad summam necessitatem ultimumque certamen. Amicitias Regum tantorum & armorum societatem, si haberi tenerique possunt, obviis ulnis amplector exosculorque. Sed à

quibu

quibus absit (quoad ejus fieri potest) omnis onerosa & iniqua conditio: & maximè pactio servitutis, pignorationum & onerum; quorum tam citò pænitere nos potest, quàm Regum voluntates ut vehementes, sic mobiles & olim & modò didicimus. Quid dicam de ære alieno, quod tantùm contraximus, quanti illud æstimare voluerit, qui dedit fænori oneríque nostro, solvendum non nostro, nec ex lege contractus, sed ejus qui dedit arbitrio. Nec tamen ignoramus, quàm multis parum fælicia fuerint potentiorum fœdera. Vt olim Latinis, Siculis, Heduis, Heracliensibus aliisq; Romanorum, Olynthiis, Thessalis & universæ tamdem Græciæ Macedonum, & (prætereo reliqua) nostris ipsis Imperatoribus Græcis Othomannorum. Nam de Helvetiorum nostro ævo cum Gallis Regib. fœdere non laboro. Hos enim quo tempore in libertatem sese vindicabant, Dei solius ope, & sua virtute, concordia & fide mutua, non auxiliis fœderibúsve humanis stetisse omnesq; difficultates superasse satis cõstat: nec antè in Gallorum amicitiam venisse, quàm cùm jam potentes & rebus illorum utiles, præsertim adversus Austrios communes tum hostes, in fœdus acciti & recepti sunt. Idque non solùm nullo cum onere, sed optimis insuper & suis potiùs, quàm Regum conditionibus; pacti pro opera mercenaria pecuniam.

Hoc si quis & nobis dederit, non repudiamus, ut jam dictum est. Sin minùs, imitamur virtutem & concordia fideque mutua (freti ope divina) grassemur ad victoriam & meminerimus non aliam nobis, quàm ex victoria sperandam esse salutem. Ejus bonam spem esse, si, quâ modò dictum, via contendere voluerimus.

Quod ergo gloriosum Deo Armipotenti, felix faustumque Populo Belgico propiore fœdere unito, universæ Reip. Christianæ, & salutare nobis omnibus, & singulis sit, P. C. accingamur sedulò & alacriter operi tam sancto, tam utili, præclaro, & ante omnia necessariò, addo etiam neque difficili impigrè agentibus. Experiamur seriò, nec diffidamus experimento faciliùs fore, quod sæpius jam & semper in legitima militia factum laudatissimæ nobis historiæ prodiderunt. Credamus, jam non de finibus, de communi dividundo, neque de alia quavis actione vulgari cum æquis adversariis; sed pro ipsis aris atque focis, pro conjugibus ac liberis, pro dulcissimo solo Patriæ, & quod hæc omnia longè superat, pro gloria ac templo Dei nostri sanctissimo adversus hostes crudelissimos, omnis juris, pietatis & æqui ignaros, nobis infestissimos planeque ἀσπόνδους instare supremam dimicationem. Et ut ipsis aliena oppugnantibus, remissis & ignavis esse liceat, ac disciplinam negligere (mille e-

nim receptus habent) nobis noſtra defendentibus, pro libertate, pro vita ipſa noſtra noſtorumque, pro ſpe & ſumma rerum universa pugnantibus & præter hoc ipſum Patriæ ſolum effugia nulla ſperantibus, fortibus ac ſtrēnuis viris eſſe, Cenſuram ac Diſciplinam, res tam neceſſarias, quàm ſalubres reſtituere atque exercere neceſſe eſſe. Hic ceſſantibus, & ſtulta indulgentia cognationum & affinitatum peccantibus, belloque victis peccandi ampliùs locum non fore.

Quin & exſpectanda inſuper præter triſtiſsimum Patriæ excidium tormenta, cruciatus, ſupplicia & extrema quæque: & quidquid inexplebilis atque irreconciliabilis ſanguinariæ gentis in nos ira, & libido in corpora animaſque noſtras & noſtrorum excogitare poterit. Contrà ſeriò conantibus, & fortiter agentibus aderit ſummus Imperator Deus noſter, qui populum ſuum electum ac dilectum conſilia ſua ſalutaria ſequentem, proque cauſſa ſua ſacroſancta dimicantem brachio extento & potenti dextera ſua defendet, & ſuperbiſsimos divini nominis ſui, ac totius humani generis hoſtes juratos tamdem haut dubiè, cum gaudio Populi ſui & Angelorum præcipites dabit, profligabit & perdet.

F I N I S.


KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK